



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Cap. XII. De Destructione castri Wisserat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

CAP. XII.

De

¶ *Destructione castri Wisserat.*

LIcet Dominus in Deuteronomio dicat : Mea est ultio, & ego retribuam, iterum tamen Mattathias cum appropinquaret tempus moriendi, dixit filiis suis : Mementote operum Patrum vestrorum, quæ fecerunt in generationibus suis, & accipietis gloriam magnam & nomen aeternum. Et interpositis quibusdam, addit : Vindicate vindictam populi vestri, & retribuite retributionem hostibus vestris. Et alibi imperfectis his qui non resistent hostibus : in simplicitate sua mortui sunt, dixit vir proximo suo : Si fecerimus omnes sicut fratres nostri, & non pugnaverimus adversus hostes pro animabus nostris, & in justificacionibus nostris, citius disperdent nos à terra. His & aliis S. Scripturæ monitis salubriter eruditi Magister & fratres, terram Prussiæ sub innumeris expensis & angustiis de manibus infidelium erectam & fidem inibi multorum Nobilium sanguine clementiam plantatam contra dicti Regis impugnationem defendere decreverunt, propter hoc res & corpora exponentes. Magister igitur magno congregato exercitu misit eum in Polonię anno supradicto in æstate, & obsedit castrum Wischerat Regis Poloniæ, in quo habitabant viri scelerati, famosi in malitia sua, qui prætereuntes homines facto navigio in Wisla spoliabant rebus suis, eosque captivaverunt aut occiderunt, & nullus poterat evadere sine damno, & hoc continuaverunt annis in grave prajudicium Fratrum & suorum, & post multas impugnationes tandem intraverunt potenter, & percusserunt peccatores in via sua & viros iniquos cum indignatione sua, & captis omnibus & occisis castrum cum indignatione penitus cremaverunt.

Ggg

CAP.